et audissime pollicemur, numquam tuorum in nos beneficiorum immemores
futuros. sed omni cura, studio, diligentia semper ea facturos,
que ad conservationem tui status, vel ad dignitatem nominis
tui pertinebunt :—

## Oratio Gasparini p. Ad regem Aragonum :—

Vellem hoc die, Rex clarissime, ea in me vis ~~ingenii~~
ingenii, ac dicendi copia esset, qua tua fortissima
facta, illustresque victorias oratione mea non modo in presentis temporis
ornare, sed etiam in perpetuum augere, atque extollere possem.
Ostendissem profecto nemini umquam maiore studio ad suas et
maximas res ornandas, quam me ipsum hoc tempore, ad tua et
magnifica gesta accessisse. Sed cum rerum a te gestarum
gloria cuiusque terruerit, ut tuis immortalibus laudibus
iam nulla par oratio possit inveniri, patieris equo animo me to-
tum hunc locum in dicendis preterire. Erunt enim aliqui, ut spero,
qui tua melius bella describant, et que armis vel consilio fortiter
sapienterque gesseris, suis ipsi orationibus, et graviter et orn-
ate includant. Mihi non illud pro meo ingenio satis erit
si quantas hec nostra provincia gratias tibi debeat, hodierno die
ostendere potero. Cum enim diu potentissimis regibus Aragonie
floruisset, beatumque non solum in tota Yspania hoc nostrum regn-
um magnum atque illustre, sed etiam apud exteras gentes
quam amplissimum. Illud certe his diebus eo redactum videre,
ut nisi tu, qui ab ipso celo missus ad gubernationem eius
ac regimen ultro venisses, iam res ipsa per diversa studia et
partium, et privatas discordias ad civilia usque bella spectas-
se. Dolebam nimium, Rex clementissime, ac nimis
egre ferebam cum audiebam hoc ab inimicis nostris sepe
obici, atque nobis insultari, brevi futurum, ut hoc nostrum
regnum, quod terra ac mari satis late potentiam suam exten-
disset, non nullis viribus externis, sed nostra, ut ipsi aiebant
superbia et intestino malo ad interitum usque veniret. Occur-
rebat quot bella, et terrestria et maritima quondam a nostris
Regibus fuissent maxima virtute confecta. quot insule,
quot provincie huic Regno nostro adiecte: quot hostium

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1592/0137
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG